



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

3. Inventio S. Crucis D. N. J. C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

repetendo: *Jesu! & Maria! in vestras manus commendo sensus, corpus, & animam meam.* Si Jesus, & Maria pro nobis: quis contra nos? Umbra Petri quid non potuit? Plus poterit tantorum invocatio Nominum.

Inventio Sacræ, & Triumphalis Crucis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce Crucem Domini! hoc signum erit in cœlo, cùm Dominus venerit ad judicandum, quis non trepidabit? Trepidabunt verò illi potissimum, qui sequi noluerunt Christum usque ad mortem Crucis. Fili! Crucifixi in schola strenui semper vivamus discipuli! Præcepta ejus facilia sunt; præmia verò quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

Instructio meritoria.

Ut igitur triumphemus in hoc signo super partes adversas, & quondam cum Crucifixo Jesu æternum gaudeamus in cœlis, recitemus tria Cantica ex hodierno Matutino, & ad imagines Crucifixi genu-

genu-

genuflectamus supplicantes : *Jesu Nazarene! Rex Judæorum! miserere mei.*
O vocem, ad quam contremiscunt inferi!

II.

Fili! sunt plurimi, qui non quærunt, sed Crucem fugiunt. Hos tamen sequitur, quin & assequitur Crux. Sunt & alii, qui quærunt, & inveniunt crucem, quam lubenter subeunt, quia Deum diligunt. Jam quorum è numero sumus? Primi habebunt pœnam. Secundi coronam. Jam eligere oportet.

Instructio meritoria.

Nos cum D. Paulo gloriemur in Cruce, & quòd Deus nos toties visitaverit variis tribulationibus, hisque nos in sui amorem attraxerit, in gratiarum actionem cum Officio de S. Cruce dicamus Psalmum : *Laudate Dominum de caelis! laudate Eum in excelsis.* Cum suspirio : *Amplius! Domine! Amplius!* qui fodit, thesaurum invenit. In Cruce latet. Quæramus.

III. Un-

III.

UNde tanta nobis difficultas in S. Cruce? fortè, quia nimis molli- ter, delicatè, & sensualiter vivimus. Si hoc: Non crux est, quod affligit, sed scelerata, & vitiiis scatens vita. Hanc deponamus; & omnis evanescet difficultas tempore tribulationis. Quod affligitur, corpus est! Quod triumphet, anima. Illi verbera debentur. Huic cœli gaudia.

Instructio meritoria.

Cum S. Ecclesia hodie gaudeamus, & ut Deus mittat in scelestum hunc mundum viros à patientia, fortitudine, & constantiâ celeberrimos, hymnum ore- mus: *Vexilla Regis prodeunt &c.* cum SS. Rosario de Mysteriis dolorosis. Tan- gamus rosas, & spirabimus odorem.

Festum S. Monicæ Divi Augu- stini Matris zelosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecclesia sancta quid non debet Bea- tissimæ Monicæ? Quid non & tota insignis Augustiniana familia? Ecclesiæ
dedit